



[Faint, illegible handwritten text on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

16
1.
16
1.
2.
16
1.
2.
16
1.
2.
16
1.



42

42

2

DISPUTATIO POLITICA

De

SUCCESSIONE,

Quam

Aspirante Divino Numine

1668, 1.

Sub Præsidio

Plurimum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi

VIRI

Dn. FRANCISCI Röhnen/

S, S, Th. D. ejusd. facult. ut & Philos. Pract. in illustri
Bremensium Athenæo Profess. Publ. Patroni,
Promotoris ac Præceptoris sui multis nomini-
bus ætatem suspiciendi, colendi,

Publicè pro viribus defendet

**CHRISTIANUS Von Etzen/
Holsatus,**

Ad diem 25. Julii horis locoq. solitis.




B R E M Æ,

Typis Hermannii Braueri, ibidem illustr. Gymnasii
Typographi. 1668.

42





*Excellentissimo, Nobilissimo, Consultissimo, nec non
Doctissimo Viro,*

DN. CONRADO WASMERO, Jcto celeberrimo,
S. R. M. Daniæ & Norvegiæ per Ducatus Slesvici
& Holsatiæ Status & Regiminis Consiliario Spe-
ctatissimo, dignissimo, Cognato suo omni obser-
vantia suscipiendo.

Maximè Strenuo Nobilissimo nec non Fortissimo VIRO

DN. DETHLEVO LUTHKENIO, S. R. M. Dan. &
Norveg. Duci Bellico, atque Præfecto Fortalitii
(quod Friderichs Orth dicitur) Avunculo suo amice
colendo, majoremque in modum diligendo.

Nobilissimo Clarissimo & Doctissimo VIRO

DN. HENNINGO Von Etzen S. R. M. Dan. & Nor-
veg. per Ducatus Slesvic. & Holsat. Status & Re-
giminis Secretario fidelissimo, Patri suo plurimum
observando, perpetuo amore venerando.

D. D.

Auth. & Resp.

Christianus Von Etzen
Holsatus.

Σϩ



ΣΥΝ ΘΕΩ

DE SUCCESSIONE.

THESIS: I.



Quoniam Homo omnium animantium à DEO T. O. M. conditorum est maximè Civile & præstantissimum, quem ipsa natura in Civitate futurum cum ipso ortu ejus ordinavit, inde Sapientum veterum Princeps Aristoteles sapienter dixit, eum, qui in societate esse nequit, aut improbum aut homine præstantiorem, bestiam videlicet aut DEUM esse *lib. 1. polit. cap. 4.* Civitates verò in naturâ corruptâ, ut Justitia publica rectius multò excoleretur, hoc cum primis institutum à Naturæ corruptæ Medico DEO acceperunt universim ut contineretur per ordinem Regentium & parentium. Hinc Magistratus, hinc Reges, hinc Imperatores, Et Imperia quidem secundum gentium consuetudinem acquiruntur duobus modis, Successione atque Electione. Alii dicant cum volunt, nos præsentis occasione benè usuri Successionem & quodcunq̃ue circa hoc negotium occurrit ordine proponere volumus publicæ Præstantissimorum Dominorum Studiosorum disquisitioni Theses nostras subjicientes.

II.

Quia verò secundum pronunciationem Grammaticam

A 2

cam

eam, in qua nulla involvitur ambiguitas, notatio vocis nulli non nota est, ad Successionis definitionem nos convertimus, quam hanc constituimus.

III.

Successio est, cum quis jure natalium imperat. Ad quam tantò melius percipiendam sequentia adjicere operæ pretium fuerit.

IV.

An præstet, ut populus ad unius familiæ hæreditatem perpetuâ obligatione se restringat, an verò eligendi Principem sibi liberis votis reservet? ubi constat quod Electionem defendunt. *H. Arniseus Civil. doct. lib. 1. c. 9. Alsted. Encyclop. lib. 14. c. 3. Machiavell. de Repub. lib. 1. dist. 19. Danaus Pol. Chr. lib. 5. c. 3.* Atque hi nituntur fundamentis istis.

V.

Primò per Electionem melior & dignior Vir accipitur, cui Imperii cura demandetur quam per Successionem. Virtus enim certior magistra rerum quam natura. *Respondeo:* Natura per educationem optimam exculta, nunquam virtute caret, adeoque tantò dignior est, qui cum natalibus se dignis dignissimam adjungit educationem horum studio quorum interest, ut fortes creentur fortibus, providere, & ad imperium natos hæredes virtutum studio imbuere.

VI.

Secundò. Quia Electio est antiquior Successione: *Resp.* Vix potest hoc ostendi & fortè parem antiquitatem habent Successio & Electio. Quod si enim à condito mundo imperia intueamur, non minus successisse sibi Reges & capita familiarum, constat, quàm electos & constitutos esse Rerum publ. præfectos.

Tertiò

Tertiò Quia Reipublicæ commodum magis consistit in Electione: Cives enim electo Regi præscribere possunt leges, ad quas servandas Juramento se obstringere cogitur. *Respondeo.* Gentes illæ quæ legibus talibus restringunt modum imperandi, à Regibus hoc cupiunt fieri, quod Juri naturæ, gentium, divino conforme est. At qui eodem modo agit ille qui succedit, adeoque nihil commodi præ successionem Electionem habet; Nimirum, quia talium Legum in iis populis, qui Reges suos eligunt, ferè authores fuerunt ipsi Reges, atque crediderunt sibi nihil præscriptum, quod vel ipsorum potestati detraheret, vel Successoribus molestum futurum esset.

VIII.

Quartò. Eligunt Germani, Bohemi, Hungari, Poloni magno suo commodo. *Respondeo.* Utinam hoc verum esset! & ut esset cum commodo non verò cum incommodo. Carolus IV. Romanus Imperator (cujus nomen in aliis celebre fecit Aurea Bulla) singulis Electoribus centum aureorum millia promisit, ut filium suum Wenceslaum Ignavum, merito suo dictum, quod Virtutum Rege dignarum aut parum aut nihil haberet, eligerent Imperatorem. Quod & factum est sed cum magno Imperii Germanici detrimento, cum enim Carolus opum suarum in Bohemiâ patriâ suâ ornanda aliàs prodigus solvendo non esset, publica Imperii vectigalia Cæsareæ Aulæ subsidia opulenta oppignoravit iis, quæ in hæreditatem verterunt deinceps, & in Capitulationibus à Cæsare sibi confirmari petierunt. Bohemi gens semper factiosa & se & vicinos perdidit, hos eligendo, illos repudiando, donec in obsequium Austriacæ familiæ hæreditarium armis redigeretur, occasione belli à Fridericò Palatino moti,

quod in ipsam penetravit Germaniam. Nec melius actum est in Hungaria, uti Annales ejus gentis & recentissima Bethlehemi Gaborii acta testantur, de quo bello scribit *Carolus Caraffa in Germania, restaurata*: denique Polonis multum nunquam profuit, sed magis attulit & adhuc affert bella civilia efficitque ut sit Regnum turbulenterissimum, bellicis calamitatibus vexatum unde sunt nobilium strages & clades miserabiles, quomodo factum in Electione Bathorii aliorumque, & quid hodiè geratur, præsens rerum status contestatur.

I X.

Quintò, Cum in hæredem Impuberem summa rerum transfertur non expectabunt magnates factiosi donec adoleverit Rex. Omnes & singuli eo temporis intervallo suam magis quam Regni utilitatem curabunt & Regem de spoliabunt. *Respondeo*:

Imo hoc magis in Electione timeñdum est, cum Interregnum non solum est, verum ipse etiam Rex, qui eligitur, multos impellere poterit donis aut promissis aut datis, ut privato emolumento contenti publicam utilitatem non multum curent, Wencessai Ignavi exemplo de quo paulò ante diximus; In successione Parens ante obitum adjungit Filio Regi proceres Consiliarios quorum fidem satis per spectam habet, quique consilio & industriâ suâ ad Regis perinde & Regni salutem procurandam enitentur.

X.

Successionem præferunt *Justus Lipsius polit. 3. c. 4. Joh. Bodinus lib. 6. cap. 5. Barthol. Keckermannus lib. 1. System. polit. cap. 4. Gregorius Tholosanus lib. 7. de Republica cap. 4. & 12.* Quorum sententiæ nostrum addemus calculum; Et rationes sunt istæ. *Primò*: per Electionem non semper optimus

aut

aut ad Regnandum maximè idoneus venit ad purpuram, Aut enim eligitur ex peregrinis aut ex optimatibus, si ex peregrinis, quid inde sequi emolumentum potest, valdè enim durum est, ut qui paulò ante evolutis temporibus nihil juris in aliquem habuerit, deinde illi dominetur & Princeps ejus sit: si ex Optimatibus? Jam illis omnibus velut ingeneratur fiducia quòvis tempore se posse Regno potiri, inde despectus in Regem, qui ex illorum ordine nuper erat, nec augustiores majoresque relicturus est liberos. Uti olim Mamalucki in Syria & Ægypto qui Sultani filios non admittebant Successores & demum cum Lex illa perfringeretur tempore Caithbeegi Magni, cœdibus cruentis occasio data est, post quas calamitates non diu stetit illud Regnum, sed brevi interiit; uti refert *Paulus Jovius in historia univers. lib. 10. 17. 18. & in vitis illustribus pag. 271. 272.* Item Poloni ob eandem rationem stragemque suorum legem fecere, ut posthac Peregrinus aut Exterus elegeretur.

XI.

Secundò : Quia Interregnum incommoditates maximas impedit. *Tertiò* : Cruentam in Eligendo Optimatum stragem & discordias civiles avertit. *Quartò* : Excludit affectum eligentium, amicitiam & pecuniam eorum, qui volunt Regni gubernacula ad se pertrahere. *Quintò* : Commendat gloriam Patris. Pater enim relicturus Regnum Filio diligentius illud administrabit. *Sextò* : Quia Successori hæreditario magis noti sunt mores & consuetudines populi. *Septimò* : Quia omnibus Coronam ambientibus impedimento est adeoque factiones tollit domesticas. *Octavò* : Quin imo & cunas puerorum in purpuram & coronam natorum tacitâ nostræ sortis confessione respicimus, veneramur, adoramus, nec parere iis recusamus

eufamus & indignamur. Namque Regis Patris, Avi, Pro-
avorumque omnium memoria & reverentia ad huc vivit
in posteris, adeoque Princeps natus est ut Imperet, nec
dubium, grandius quoddam insinuari illorum ingeniis,
qui à puero ad Regnandum instituuntur *Horatius Carm.*
lib. 4. od. 4. recte dicit:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvenis est in Equis Patrum
Virtus, nec Imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam

XII.

Nonò: Exemplis quam plurimis approbatur. Assy-
rii, Persæ, Medi, Turcæ, Indi, Afri, Parthi, Hispani, Galli,
Angli, Dani, Suedi, Scoti, Tartari, Mosci Successionem re-
tinent. Denique *decimò:* Minori cum periculo sumitur,
quam quæritur Princeps.

XIII.

In Successione verò præsertim receptum est Jus pri-
mogenituræ, illud verò optimum ac à DEO ipso & ab ho-
minibus comprobatum est, uti tam sacra quam profana,
testantur: in sacris legitur, Ex. 13: 2. Deut. 21: 17. 2. Chron.
21. v. 3. In profanis testantur Jura tam Civilia quàm Ca-
nonica, imo omnium tam Asiæ quàm Europæ Regnorum
Leges & consuetudines; nam in lineali successione simul
atque Regnum quæsitum est, spes major parta esse dicitur
liberis ante natis quàm nascendis; nam posito alios postea
natos non esse, nemo prius natos (nisi iniquè) excluden-
dos esse dixerit.

XIV.

Ex prædictis non inelegantem quæstionem movere
solent Politici: Quisnam sit præferendus? An filius qui
jam existente Patris Majestate annis tamen minor natus,
sic

fit ante ponendus illi, qui ante acquisitam à Patre dignitatem natus est Primogenitus annisque major? Pro secundogenito distinguunt atque non solum spem sed & ferme successionem Imperii illi attribuunt *Hottomannus in questionibus illustribus controversis. 2. Tholos. lib. 7. de Republ. c. 9. Vernulus lib. 1. Pol. Instit. tit. 7. c. 10. hoc modo.* Si Pater à Majoribus accepit Regnum hæreditarium potest illud primogenito à se privato tradere; Si verò primus invasit vel alia ratione ad Regnum pervenit, ille præferendus, qui in Regia purpura natus est.

XV.

Sed immediatè pro secundogenito pugnant hisce gavisi rationibus. *Primò:* Quæcunque Pater privatus sibi bona congerit, eorum hæredes absque respectu sunt liberi, quæ verò modo illustri & non dividendo, solum acquirit illi, qui natus illustri tempore. *Respondeo:* Qui natus est à Patre, qui à Majoribus accepit Regnum, ille tamen absque ullo dubio succedit, quia Pater ejus non est privatus sed Regis filius. Quàm verò ob causam non tam Parens bona acquirat nato quam nascituro, hoc est quod æquis nemo rationibus comprobabit. *Secundò:* meritò ratio & respectus habendus prioris vitæ, status, & educationis privatæ in qua natus. *Respondeo:* Non inspicitur quod fuit prius sed quod nunc est.

XVI.

Tertiò Exempla tam antiqua quam nova per plurima secundogenito Regnum assignant: uti Xerxes, natus in splendore Patris Regio antepositus est fratri, Arrimèni primogenito ante adeptum Regnum nato: item Bajazethis Turcarum Sultani filius natus minor Selymus maximo nato Achmedi prælatus & præpositus est. *Respondeo:* Arrimenes ætatis privilegio sibi quidem Regnum vendica-

B

bat,

bat, sed non ea erat dissidii & litis fraternæ ratio. Regnum enim ad matrem hæreditariè non verò ad Patrem spectabat, nam Xerxis Avus maternus erat Cyres, non vero Artimenis. Quod attinet Exemplum Turcarum Selymus non solum vi atque injuria fratrem natu majorem Achmedem de solio detruxit, sed & strangulari more Turcicò jussit: Anne verò hoc de Jure & non de facto actum fuerit, cuius judicandum relinquo, hoc certe verissimum est, quod tam Achmedes quàm Selymus imperante Patre natus sit.

XVII.

Pro primogenito nobiscum rationes suas acerrime defendunt, omnem qualis qualis sit distinctionem rejicientes *Timpler. lib. 2. pol. 3. quest. 3. Traquellus de Jure primogenitura qu. 31. Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis Lib. 2. c. 7. Besoldus lib. 1. de Elect. & Success. dist. 7. Liebenthal Coll. Pol. Exercit. 6. quest. 9.*

XVIII.

Ex profanis Authoribus *Herodotus in Polyhymnia, νομιζόμενον πάντων ἀνθρώπων τὸ πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχει*, id est, mos omnium populorum est, ut natu maximus imperium obtineat. Cujus sententiæ æquitatem exemplis, legibus, rationibusque confirmant Authores innumeri: *Grotius* hanc & probat sententiam in quiens: Filium, qui ante Regni adeptionem natus est, in Regno individuo præferendum illi, qui in Regia Patris fortunâ genitus, in quavis Successionis specie verum est. Nam in Regno individuo haud dubiè partem feret, ut in bonis cæteris, in quibus nunquam distinguitur, quo tempore sint quæsitæ: Qui autem partem feret in dividuo & individuo ætatis præferatur privilegiò: quare & feudum sequitur filium, qui ante investituram primam natus est.

XIX. Se-

II
XIX.

Secundo: quæcunq̄ue Pater acquirit bona sint vel corporalia vel feuda vel allodia vel jura, non magis acquirit nascendis quam natis, quia ex eodem primogenitus, quo frater sanguine natus est. *Tertiò*: Proximus in hæreditate habetur, qui proximus eo est tempore, cum Pater moritur, de cujus hæreditate quæritur. *Quartò*: Primogenitura inest filio statim ac hanc lucem conspexerit: Pater enim & Filius habentur una persona, quia ejusdem sanguinis sunt.

XX.

Quinto: Successio primum fit tempore mortis, etsi ante acceptum à Patre Regnum natus, tamen primò natus post obitum reperitur. *Sextò*: Nec Patris Qualitas sed filiationis substantia est consideranda. *Septimò*: Et Historiæ Veterum & moderna testantur Exempla: Artaxerxes Cyro prælatus est, Otto Imperator Fratri Henrico præpositus. Christianus II. Elector Saxonix natus ante Patris Electoratum præpositus, etsi sine liberis, tamen Joanni Georgio. Similiter & Modernus Princeps DANIX & NORVEGIÆ Rex designatus est Christianus hujus nominis V. qui in Archiepiscopali patris dignitate natus est. *Octavò*: Cum in statu privato & plebejo nullus ab hæreditate paterna arceatur, etsi nato filio primo Pater maxima rerum inopiã laboraverit, quare ergo in Majori & celsiori statu, Regnis nempe hæreditariis?

XXI.

Filius in locum succedit Patris, tam in Regnis quam in privatis, ergo Patris frater meritò rejiciendus, quia hæreditas primum ad descendentes, quam ad collaterales devenit.

B 2

XXII.



Hinc Quæstio Politicis notissima suboritur: Num Filius Primogeniti sit suo Patruo ante ferendus? Negativam pauci & inter eos *Cujacius lib. 2. de Feud. c. 11. & alii hoc modo. Primò: Filius vel Patruus annis major Prudentia, quàm longo rerum usu acquisivit, Rempublicam ad finem suum facilius dirigere potest quàm Nepos minor; Respondeò: Quidni? Si Nepos planè sit stупido & hebeti ingenio, non verò si à DEO donis naturæ humanis ornatus, Patruum enim ut Viri senio confecti Prudentiâ non diu gauderent subditi: Sed nepos Junior longiorem promittit vitam; Cùm omnis mutatio sit periculosa, & crebrius mutatio hoc modo est exstitura. *Secundò: In contrarium nituntur statuta diversarum gentium, Arabum nempe antiquorum Strabo lib. 16. Vandalorum Procopius lib. 3. de bell. Respondeò: Quod Arabes antiqui & Vandali patrum prætulere de factò non de Jure esse censemus. Hodie in nullis totius Europæ imò externis Regnis conceditur. Tertiò: Ratio proximi Sanguinis est habenda, qua Patre Rege & Nepotem totò gradu antecedit Patruus. Respondeò: Maxime hæc ratio pro nobis pugnat, Nam filius proximior est Patri quàm Frater Fratri: Ponitur verò hic Rex fuisse Pater, cujus filius & Frater de Regno contendunt: Linea enim descendens semper potior est collateralis; cum Pater est ejusdem cum filio sanguinis, & dicuntur una persona.**

XXIII.

Nepotis Successio nobis æquior & cum natura magis consentanea videtur, quæ & placet *Arnis. lib. 2. pol. 2. Bodino lib. 6. de Repub. c. 5. Hugoni Grotio de Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. 7. Keckermanno lib. 1. pol. c. 4. Tholos. lib. 8. de Rept. c. 10. Liebenthall Exerc. 6. Schönborn. lib. 2. Pol. c. 11. Besoldo Fol. 5. & claris-*

clarissimo Viro Kippingio lib. 1. Pol. c. 17. dist. 8. Rationes sunt;
Primò Jure repræsentationis succedit Nepos. *Secundò* Quia
 una caro unus Sanguis imò juxta plerosque pro una ea-
 demque persona habentur, ideò meritò Paternorum bo-
 norum, qualiacunque sint, hæres esse debet. *Tertiò:* Se-
 cundogeniti filii dein iterum coguntur jure & imitatione
 Patris tradere sceptrum Primogeniti filio, quod illi invi-
 ti facturi sunt, putantes sibi sceptrum in manibus esse, adeo-
 que arcere posse Patruum defuncti Primogeniti Filium à Re-
 gno: adeoque iniquissimum esset maximeque in Justi-
 tiam impingeretur, si filius primogeniti arceatur à Regimi-
 ne, secundogeniti verò succedat. *Quartò:* Quia in omni-
 bus ferme Regnis bene constitutis observatur, Exemplis
 novissimis demonstrabimus; Gallia Rex Ludovicus XIV.
 Modernus rerum potitus est Patruo Joanne Baptista Ga-
 stone Duce Aurel. adhuc in vivis: item pientissimæ me-
 moria Rex Christianus IV. Dania & Norvegia sceptrum te-
 nuit excluso Patruo Joanne Duce Holsatia: item in Ger-
 mania Carolus Ludovicus modernus Elector Palatinus
 Patruum Ludovicum Philippum superstitem non admi-
 sit; est enim hoc certissimum, Filium succedere in jura
 Patris.

XXIV.

Hoc quidem extra omnem dubitationis aleam po-
 situm est; Quod primogeniti, uti ex præcedentibus pa-
 tet, filius in Regno succedat atque patruo præferatur, si
 Rex Pater post adeptum Regnum mortuus fuerit: si ve-
 rò relicto filio primo genitus ante adeptum Regnum in
 vivis esse desierit, etsi multi fratrem demortui ante po-
 nant tamen prærogativa verius debetur nepoti, uti Pri-
 mogeniti filio; Filius enim in locum Patris succedit, ean-

B 3

demq;

demque in hereditate jure obtinet partem & gradum, quem Pater, si vixisset, obtinuisset.

XXV.

Quia verò nonnunquam plures ad sunt liberi; ut Regni autoritas formaque retineri possit nec in minutas divisum partes Regnum in multos tandem Principatus & comitatus degeneret, adeoque omnibus destituatur viribus. Primogenitus Jure meritoque succedit, tumque nihilominus Filius Primogenitus tenetur jure reliquis tam fratribus quam sororibus de alimentis, illustri & Regia familia dignis prospicere, uti in sacris *2. Paralip. 21. v. 3.* ubi Josaphat Filio primogenito Joram regnum relicturus filiis reliquis ingentem auri argenti que vim urbesque tradidit munitas: uti in Gallia Principibus Regiis certæ quædam pensationes (vulgo appennage vocant quasi panis ad sustentationem datus) annuæ assignantur. Sic Isabellæ Hispanicæ cessit Belgium. Ita Holsatiam eo nomine à Friderico II. Serenissimo Daniæ Norwegiæque Rege relictis Fratri Primogenito regnis accepit Johannes junior, ambo Regis Christiani III. filii.

XXVI.

Divisio itaque eò modo instituenda est, ut Primogenitus aliis præponatur, uti Jacob in ipso mortis articulo Filio Rubeno dicit Tu es major in Domino, major in Imperio.

XXVII.

Imo & hoc approbatur in Imperio Romano Germanicò, uti Reincking *lib. 1. Class 4. de Reg. Secul. & Eccles cap. 10. dist. 29. ex Aurea Bulla Car. IV. cap. 26.* adfert: Electorum secularem non omnibus ex æquo sed primogenito deferri;

deferri; Imo apud nonnullos usu receptum, ut in qualibet familia linea primogenitus succedat: ut in Linea Hassiaca tum Darmstadtina tum Cassellana apparet.

XXVIII.

Illam quoque consuetudinem cum jure consentaneam esse, quæ à Regni & principatus successione reliquos filios excludit, & tantum primogenito attribuit jura: hæc evincunt argumenta: *Primò* attenuantur per divisionem opes Regiæ & patrimonia, ut tandem cuivis ex familia Regia ad suos regiè educandos suppeditari nequeat: *Secundò*. Si verò primogenitus solus succedit opes dignitas & fortunæ Regiæ conjunctæ manent, suam conservante familia auctoritatem: Si enim in varias dividerentur partes illustrium personarum bona & opes, certè cum bonis & auctoritas vilescet. *Tertiò*. Subditi quoque à multis difficilius quàm ab uno regi possunt. *Quartò*: In omnibus non Europæ solum sed & exteris receptum Regnis usuque comprobatum, ut primogenitus cæteris exclusis regimine potiatur. *Quintò*: Quia jure divino uti *Deut. 21. v. 15. Gen. 27. v. 29. ad Hebræos 12. v. 16.* jure naturæ & gentium approbata est hæc Lex. *Sextò*: Salus Populi Suprema Lex esto; atqui Salus Populi magis in uno alendo Principe consistit quam in pluribus, contra si fiat, oriuntur plurimæ incommoditates, quas recensere non hîc est loci.

XXIX.

Supra diximus in definitione Successionis: *jure naturali*: Illo verò Jure naturali intelligitur succedere filius naturalis in legitimo matrimonio Patre Rege matre Regina natus; non verò intelligitur Spurius aut Filius naturalis, qui
extra

extra matrimonialem complexum prognatus Patre saltem Rege, matre verò non uxore Regis sed vel nobili vel ignobili, non existente Regina, quos meritò & jure à limite dignitatis Regnique gubernatione arcemus & excludimus.

XXX.

Sunt verò nonnulli, quibus duabus rationibus placet defendere ad regimen admittendos esse spurios: *Primò*: Quod meritò illis non possit attribui infamia sed parentibus; cum illis non sit noxa & culpa imputanda, sed parentibus à quibus procreantur. *Respondeo*: Sint fontes nec ne, tamen omni mundo despectui sunt; Quia censetur progenies maledictioni obnoxia *Eccles. 23.* & derelinquitur memoria impuritatis in liberis, *Sap. 3.* Imò Deus secundum legem ceremoniam non à Republica solum sed & ab Ecclesia arcebat spurios cum *Deuter. 23. v. 2.* ubi expresse dicitur: *Non ingredietur mamzer, h. e. de scorto natus in ecclesia Domini usq; ad decimam generationem.* Exemplum est Jephtha, quem è Concubina Regis natum fratres è jecere, *Jud. 11. v. 1. & 2.* *Secundò*: Exempla testantur, magnum exinde natum fuisse commodum. *Respondeo*: plures incommodorum rivuli emanarunt ex administratione spurii & filii naturalis regimine; nonne Regnum Jerubaalis testatur, qui 70. filiis ex legitimo matrimonio susceptis, uno verò ex Concubina nato, relictis; cum intervivos esse desiit filius ex Concubina Sichemita natus reliquos fratres ex matrimoniali & legitimo complexu prognatos 70. occidit, atque ita Tyrannicè Imperium invasit, tandem à foemina oppressus. Quid incommodi ex regimine Henrici Nothi Hispaniarum Regno pullulaverit

verit, jamnum Hispani Scriptores conqueruntur, qui Petro legitimo Successore & Regni hærede è medio sublato Regnum occupavit. Possint ex Historicis infinita alia produci, sed his contenti erimus.

XXXI.

Si quis etiam Spurius aut filius naturalis præsumat sibi acquirere Regnum vel Jure vel vi, capitali afficiendus est supplicio: uti Spurius cum tentaret occupare Regnum Scotiae capite multatus est, *Buch. l. 4.*

XXXII.

Nec in hac materia Exemplis judicandum est, quæ tamen rarissima: nam ut illi plurimum violentiâ vel astutiâ Regnum vel donis occupavere, ita sanè infimæ conditionis homo, aut allectis ad se hominum studiis, aut corruptionibus Regnum sibi vindicare potest: ut Piscator ille Thomas Aniello Neapolitanus imperio unius diei saltem gavifus.

XXXIII.

Nos verò cum Politicorum primo & maximo Aristotele aliisque & plurimis conspicuis Politicis simpliciter à Regimine excludimus Spurios. 1. Authoritate divina, uti supradictum, & scriptorum Politicorum; uti *Aristot. lib. 3. fol. c. 3.* non quidem inter Cives numerandos esse dicit. 2. Contraria sibi invicem opponuntur, si nobilitas innascitur posteris quanto magis stuprum & probrum adhærebit liberis; de quæ illegitimis hæc conjectura dicitur. Non

C

procul

procul à proprio stipite poma cadunt. 3. Imperantem ab omni alienum esse labe oportet, atque spurii naturâ labe sunt infecti. F. 4. Deus minatur in liberis vindicationem *Exod. 20.* & exterminationem & extirpationem Filiorum adulteri.

XXXIV.

5. Si Spurii arcentur ab hæreditate paterna, & successione privatorum bonorum, cum Patrem habere non æstimentur, quantò magis à Regno. 6. Fides Spuriorum valde lubrica esse solet, tum & omni destituuntur auctoritate & Magnificentia, Princeps verò sine Auctoritate est sicut Sol sine radiis, tum omnibus ludibrio & contemptui erit. 7. Olim apud Suevos, Gothos & Norvegos non licuit semel in honestorum virorum conspectum venire, & vivere illorum in consortio; nec hodie apud Helvetos ad dignitatem admittuntur.

XXXV.

Nec legitimati quidem ad Regimen admittendi sunt, nam ortus eorum valde obscurus & extra legitimum matrimonium: uti in Regnis Galliæ & Daniæ hodie observatur. Nec refert Virtus an innocentia iis inhæreat.

XXXVI.

Nec per subsequens matrimonium Liberi ex Concubina nati & legitimati succedunt, licet enim omnium efficacissimè hîc modus operetur & legitimet; tamen quia
matri-

matrimonii favor confusionem & labem sanguinis non potest extergere; & magis è Republ. est, ut legitimatis fores ad scepra præcludantur; regulariter, ubi de honoribus agitur, sordes excluduntur, & consequenter tali modo legitimi non succedunt.

XXXVII.

Jam ad divisionem Successionis procedimus. Quàm nonnulli multipliciter dividunt; uti Successio 1. acquiritur aut Successione Liberos, 2. quæ jure belli fit. 3. quæ ex Jure connubiorum oritur. 4. ex titulo Donationis. 5. ex Testamento. 6. per violentiam fraudem & largitiones comparatur. Nos verò simpliciter in duas tantùm distribuimus divisiones; quarum alteram dicimus Patrimonialem, alteram verò Legitimam, juxta Clariss. Vir. *Kspp. lib. 1. pol. 17.*

XXXVIII.

Patrimonialis est Successio, quæ obtinet inter populos bello subactos; alias dicitur Cognatica.

XXXIX.

Legitima est successio, quæ obtinet inter populos sponte subjectos; alio indigitatur nomine Agnatica.

XL.

• Illa Patrimonialis recepta est in Regnis Hispaniæ, Britanniciæ, Daniæ &c. ubi posteri tam foemina quam mares



ad successionem admittuntur, eò tamen modò, ut quamdiu masculi super sint præferantur filia, etsi hæc annis major sit: Et hi Reges dicuntur Hæreditarii, quia plenariam in subditos potestatem habent, secundum proprium lumbitum ordinandi & constituendi, tum in testamento disponendi, citra Primogeniti præjudicium, quodcunque placuerit.

XLI.

Legitima est recepta in Gallia & Suedia Regnis, in Gallia Lege Salica arcetur Fœmina ab Imperio, in Suedia ex Instituto Gustavi Wasæ prohibentur à Regimine mulieres: hi quoque Reges legibus certis sese adstringunt, & erga cives suos se obligant, sine quorum consensu de Regno disponere haud licet; Quod verò nuper Regina Suedia Christina Patri Gustavo Adolpho successerit hoc de Regno bene merito præmium retulerunt Status Suedici, ut filiam imponerent solio; qua derelinquente Regnum, cautum est statuto, ne fœmina iterum succedat, quamvis Pater maximè meritis sit *Loscen. lib. 9. hist.*

XLII.

Sed quoniam non incommodè de Gynæcocratia mentio fit in Patrimoniali Successione, placuit Quæstionem movere; Num Fœminæ ad Imperium sint admittendæ, vel ab illo arcendæ? Fœminas ab Imperio arcendas esse putant *Joh. Bodinus lib. 6. de Republica c. 5. Arniseus lib. 1. Pol. c. 9. Schönbor. lib. 2. pol. c. 12. Cellarius lib. 2. c. 3. dist. 16. Besoldus lib. 1. cap. 5. dist. 30.* Rationes adferunt; Primò: Quia fœminæ in sacris jubentur parere maritis & viris, *Gen. 3. 16.* tum
inter

inter publicas recensetur, calamitates imperium muliebre,
uti Esaiæ 3. 13. arcentur & 1. Tim. 2. v. 12, hisce verbis: non per-
mitto docere neq; dominari in virum.

XLIII.

Respond. Quod ad dictum Geneseos attinet, non
 est intelligendum de foeminis, vel virginibus, vel viduis, ad
 imperandum vocatis; sed DEUS uxori dicit, ut sit ejus vo-
 luntas marito subdita, quod nos non impugnamus: de
 qua subjectione Commentator Pelarchus in Genesin ita
 scribit: *Viri est præesse: præesse cum dico, non libidinem*
fæviendi & dominandi; non Imperium δεσποτικὸν sed
γαμικὸν intelligo: Uxor è latere non è pedibus, ut sit
prorsus subjecta; neque ex capite, ut imperet marito, sed
ut onus familiæ portet unâ cum viro, adeò, ut Maritus
Consul, illa verò Senatorias obiret vices. Quod Esaiæ 3.
scribitur; non tam de foeminis, quàm effoeminatis viris u-
ti Brentius comment. in Esaiam Cap. 3. item Bullingerus: Intel-
liguntur per fæminas molles & delicatuli, meticulosi &
in omnibus dissoluti & effoeminati viri. Quod legitur in
Epistola Pauli ad Thim. 1. cap. 2. v. 12. Mulieri non permitto
dominari in virum; Weinrich in Comment ad Ep. Pauli sic ait:
Hic Imperium non intelligitur Politicum sed matrimoniale; nec
Subjectio illa eousq; extendenda est, quasi silentio astrin-
gendæ piæ & honestæ Matronæ & connivere jubeantur
ad maritorum suorum παραπτώματα & exorbitationes:
minimè verò: Certè Abigail matrona pientissima & pru-
dentissima, 1. Sam. 25., Maritum Nabalem fatuum & in-
spientem objurgando, rectè fecit: item Pilati uxor: & si
monitis uxorum hi duo moram gessissent, certè sibi me-

lius prospexissent: & absurdissimum est; Quod author quidam dixerit, foeminis ideò comam à DEO, alendam atque nutriendam, datam esse, ut haberent mariti aliquid, quo illas tenerent & ligarent.

XLIV.

Secundo: Quia exigua planè prudentià prædita est Mulier, cum verò absque illa Respublica non possit consistere, merito rejicienda; Imo & fortitudo nulla illis inest, uti

Seneca in Octav.

Deus iis pectus instruxit dolis,

Sed vim negavit:

Sunt & loquaces, rimarum plenissimæ, uti Exemplum Papyrii, qui matri interroganti, quidnam incuria ventilatum, argutè, fidem silentii promittenti, respondit; esse quæstionem propositam, num magis è re sit unum maritum nubere duabus uxoribus, an uni uxori duo adjungantur copulenturque mariti: illa, ut ut audivit, statim effutiit seq. una cum omnibus mulieribus congregavit, quæ uno impetu in Curiam effuderunt, protestantes, ut uni uxori duo essent mariti; tandem percepta illusionem derisæ domum remissæ sunt insigne referentes Taciturnitatis Brabæon: Sunt & foeminæ magis ad iram proclives & præcipites *Propert. lib. 3.*

Nescit vestra ruens ira referre pedem.

XLV.

Respondeò. Mulier æque à DEO & interdum majori in-

ri instruitur prudentia. Nulli enim præclusa virtus est, omnes admittit, nec censum nec sexum respicit: *Seneca* inquit. Nec semper & omnes fæminæ fortitudine carent: Est & mollities & meticulositas tam in viris, uti Exemplis constat, quàm in mulieribus. Quæ unquam fæmina tanto timore perfusa, tantaque luxuriæ & mollitiæ fuit, quam Sardanapalus Rex. Sic Ægyptii viri domilanam texebant, Mulieribus negotiari & arma gerere concessum erat; *Herod.* Nec de Lydis aliud testatur *Tholos. lib. 7. c. 11.* Cui verò non probatur Fortitudo invictissimarum Amazonum, de quarum invictis bellis animoque plusquam virili omnes Scriptores suas paginas implevere: Satis etiam Artemisiæ Cariæ Regina, Cleopatrarum Ægypti aliarumque res gestas ostentant Historiæ magnificas; & plerumque in Muliere vires animi præstantiores, quàm in viris esse solent. Quod nonnullæ mulieres loquaces sint nemo erit qui neget, sed plerumque imò semper infimæ conditionis homines, nil aliud ac futilia audientes, eiusmodi criminis incusantur: illæ verò, quæ in purpura, vitæ ac morum primordia imbibunt, nunquam communia & futilia audiunt, illarum in præsentia nil nisi seria dicuntur. Nec omnes ita in iram præcipites sunt, uti Xantippe, nunquam enim Principes Regiæ in juventute ad iram commoventur: omnia enim illius umbram colere, imò ad aspectum genua flectere videntur.

XLVI.

Tertiò: Quia Romani, Poloni prohibent à Curiis: Galli verò & Suedi à Regno arcent illas: *Respondeo:* sic hoc eo tempore factum; interim & mulier Zenobia
Confer-

Conservatrix Reipublicæ Romanæ fuit; Neque Hedvigi-
gis & Anna Polonica obfuere Regnis Patriis Neque
Galliæ & Suediæ Leges placent aliis; neque alii populi
imitati sunt eam consuetudinem; cætera ex Authoribus
colligere quis potest.

XLVII.

Fœminis nobiscum jure meritoq; assignant post ma-
sculorum filiorum vel fratrum obitum Successionem *Tho-
los. lib. 7. de Republ. c. 11. Keckerm. lib. 1. pol. cap. 6. Dan. lib. 6.
pol. c. 4. Lipsius lib. 2. c. 3. Timpl. lib. 2. pol. c. 2. & Kipping. lib.
1. pol. c. 6. Primò: Propter tranquillitatem & contra se-
ditionum pericula, si masculi non adsint, fœminis Re-
gnum debetur. Secundò: Quia Leges fundamentales in
Regnis plurimis, successionem fœminis concedunt ut in
Hispania, Anglia, Dania, Scotia, Sicilia, Bohemia, ubi fœmi-
næ succedunt. Tertiò: Exemplis veterum probatur Se-
myramis præfuit Asiæ, Tomyris Scythiæ, & aliis aliæ.*

XLVIII.

*Quartò: Quia fœminæ plurimæ virtutibus instructæ
fuerunt, quæ etiam curis virilibus fœminarum vitia exue-
runt. Debora in Sacris feliciter præfuit. Spartanarum
mulierum virtutem non sine damno suorum expertus est
Pyrrhus *Just. lib. 25. c. 4. Germani mulieribus aliquid san-
ctum inesse & providum putarunt: Tac. de mor. Germ. Bri-
tanni fœminas non solum præfecere Regno sed & bello
Tac. in Agric. Cleomenes & Demarathus Argivarum mu-
lierum fortitudine repressi. Clæliæ Virtus omnibus no-
ta**

taEli-

ta. Elisabethæ Angliæ Reginae victricia arma expertus est
 Philippus II. Rex Hispaniarum, à quò Belgium confœde-
 ratum simul liberum fecit. Margarethæ Danicæ res gestas
 incomparabiles testatur hodiernus DANIÆ status exopta-
 tissimus, quippe trium Regnorum septentrionalium unio-
 nem perfecit Alberto Rege Suediæ victo, capto & Re-
 gno exuto, Suediam sibi subiecit, Norvagian quoque, quæ
 adhuc paret Regi Dania. Qui plura cupit, consulat *Corn.*
Agrippam. foeminarum acerrimum propugnatorem.

XLIX.

Hiscæ inter sese bene collatis, non videmus ullò
 modò damnari posse imperium muliebri; sed successio-
 nem foeminarum esse ferendam; tum propter habilita-
 tem, quæ in foeminis quoque reperiri potest; uti fit
 quando Tutricum nomine imperant: tum quod pluri-
 morum Regnorum legibus id haud quaquam prohibea-
 tur.

L.

Attamen si ordinariam Successionem in Regnis &
 Principatibus intuemur; & qualis magis semper est op-
 tanda & præferenda, Foeminarum Successio est magis
 Extraordinaria: quæ interim valdè conducit, si fortè pe-
 riculum sit, maribus extinctis, ad aliam familiam Succes-
 sionem devolvi posse, vel Interregnum aliquid
 metuendum.

Tantum placuit differere de Successione pro tenuitate

SOLI DEO GLORIA.


D

COROL-



C O R O L L A R I A.

- I. *Majestas est potestas soluta Legibus.*
 II. *Princeps tam in Ecclesiastica quàm in Civilia jus suum habet.*
 III. *Romanum Imperium est quarta Monarchia.*
 IV. *Tyrannus non potest abdicari à suis subditis.*
 V. *Titulus DEI GRATIA Jure competit Principibus & Comitibus Germanie.*
 VI. *Rex diverso respectu potest esse & summus Magistratus & Vassallus.*
 VII. *Majestas in Regnis successivis Monarchicis tam personalis quàm realis plenissime exercetur.*
 VIII. *Imperium RomanoGermanicum non est feudum Pontificis.*



A Monsieur

Monsieur Chretien D' Eitzen.

Q Uand même le sçavoir, & la rare lumiere
 De vôtre bel esprit vous quitteroient aujour d' huy
 On verroit vôtre fort maître dans la carrière
 Et un coeur genereux triompher avec luy:
 Mais puisqu'ils sont unis d' une alliance fidelle
 Et qu' ils combattent tous pour ^{un} même party
 Vous-allez remporter la palme tolemnelle:
 De tout assaut rendant vôtre honneur guaranty.

C'est le souhait

De. P.L. du Buisson françois

N On captant muscas Aquilæ, culicesve Leænæ;
 Ast captant humeris, quælibet apta suis:

Sic

Sic tua mens imi contemtrix, REGIA spirans,
 A magnô ad majus, te probat esse satum.
 Aspiret coeptis DEUS, ut SUCCESSIO dextrè
 Succedat, cedit sic Tibi multus honos.

Amicus, amico ex animo

Thomas Vöge. Brem.

Das da keine mehr zupreisen/unter allen Reichsgestaltē/
 Als die an ein Haus gebunden/ solchs ist jederman
 bekandt.

Dan dadurch wird abgehalten/grund verderblich
 Krieg vom Land.

Welcher sonst zu allen mahlen bey der Wähle pflegt zu
 schalten.

So thut auch ein Landes Vatter/solchs mit höchsten Fleiß
 verwalten.

Wen er weiß daß seinem Erben/komm des Reiches Stab
 zur Hand.

Nichts mag es ihm so verbinden/als diß starcke Hoff-
 nungs Band.

In ein solche Art zu herschen/läst zu keiner Zeit erkalten
 Ehrerbietigkeit und Demuth/in der Unterthanen Her-
 zen.

Das sie die in Windeln ehren / sondern allen Eckels-
 schmerzen.

Was in keinem Standes Wechsel/ringer von sie je erkand.

D ij

Drumb

Drumb in dehm ihr diß verfechtet / wo:hrer Freund! 'ast
 ihr verspühren/
 Hohes Dencken/tieffe Sinnen/ die zu grossen Lob hür:
 führen.

Wozu euch viel Glück erwünscht / des bekanten **KEMN**
DES Hand.


Ernest Tileman cond. Schenck.



Virtute intrepidus Martis reboantia castra
 Qui sequitur, tandem myrtea ferta gerit;
 Sic in Musarum, qui pugnas dexter, **AB EITZEN**,
 Castris, â pugna præmia digna feres.

Sic amico amicâ manu gratulabatur

Nicolaus Herde Brem.



Der Apfel fällt nicht weit vom Stamm' / gar recht man führet.
 Als Sprichworts: weiß im Mund: dasselbe wird verspühret.
 An euch auch wehrter Freund / indem ihr albereit
 In eurer Jugendblüht besteigen wollet heut.
 Des Pindus schöne Burg / und löblich ohn verweilen.
 Schoneures Batteren. Jusstapffen wolt nachheilen:
 Ich! obe euer Thuen: fahrt fort mit allem Fleiß.
 Es wird euer Ehren, Lohn seyn steter Ruhm und Preis.

Dies wenig setete dem hochgeehrten Herrn

Respondenten

Anth. Christ. Strackerian Oldenb.



In altes Sprichwort ist und wird auch wahr verspühret
 Wer liebt die Wissenschaft und nach der Weißheit strebt/
 Wer nicht dem Pöbel gleich / bloß an der Erden klebt
 Vielmehr nur seinen Sinn empohr zwingt / und aufführet

Dem:

Dem hohem Himmel gleich/der muß nicht seyn-gerühret
 Vom Schlaff des Müßigangs/er muß seyn langsam nicht
 Noch träg/noch faul: Daß Herz muß nur mit Lust gericht.
 Seyn zu der Arbeit stets. So daß man an ihn spühret
 Daß nach der Weißheit bloß fest seine Sinnen stehn.
 Und alles Müßigangs und Faulheit ohnig gehn.
 Dieß alles weistu wohl/mein Freund/drum: b dich ergeben
 Der Musen edlen Schaar in deinen jungen Leben.
 Und mit der That es zeugst jezunder: und darob
 Dir auch bereitet ist daß/waß man nicht kan kauffen
 Umb schönes Geld und Guht/darnach die Thoren lauffen:
 Der wahren Tugendfrucht / die Ehren Krohn mit Lob.
 Dieses hat seinem vertrauten bruderlichem
 Freunde auß schuldigkeit zu Ehren setzen
 wollen.

Wilh. A Bentheimb. Wilh. Fil.

Enn Tugend und Jugend mit Freuden sich paaren /
 So kommet und frommet die Weißheit vor Jahren /
 Im Wercke diß mercke jedtweeder aniso an dir /
 Beehrter und wehrter Freund / der du tritts löblich herfür:
 Dieß wenig auß Schuldigkeit
 Herman Meyer / Brem.

Ad Politissimum nec non Doctissimum Dnum Respondentem.


Accidit in puncto multis, quod magna per annos
 Doctorum juvenum discere turba solet.
 Scilicet ingenii vis est, quæ mente sagaci
 Indita, quam quoque Tu, suavis Amice, tenes.

Ægra manus

Alberti Meyeri.


D 3

Intrept.


INtrepidis, alacer, pedibus dum pulpita scandis
 Laudo conatum. Pergas sic visere Phœbi
 Amplius assiduo penetralia magna Labore;
 Et tandem claræ Virtutis munera largæ
 Te cingent, operæ capies quoque præmia magna.


Hæc pauca Scribebat

Mart. Strackerian B.A. S. Oldenburg.


Hunc juvat Aonias sat debellare Camœnas
 Hunc tangi placidâ membra quiete placet
 Immoderata quies! quæ tendit ad otia quæque
 Tam rarò motu corpora debilitat:
 Te Juvat Aoniis animum perfundere lymphis,
 Otia nec quæris, nec tibi lenta quies.
 Hinc tua quod lætis felix conamina cœptis
 Aggrederis, quantâ laude vehendus eris.

*Paucis hæc Præstantissimo Domino Re-
 spondenti amico & populari suo pluri-
 mum dilecto applaudebat*

Joh. Georg. Arens, Holsatus.


Was bringt dir nun/mein Freund/dein stetes stille Sizen
 Dein weitberühmter Fleiß/dein gnug bekantes Schwitzen
 Gar nichts als grossen Lob/ja wohlverdienten Ruhmb
 Und wird die Tugend so dein rechtes Eigenthumb
 Juro

Fürnehmlich wenn jeh sich ganz öffentlich erweist
Dein wohlberedter Mund / daß ihn ein jeder preiset.

Fahr fort der Lohn/den du erwartst in dieser Zeit
Ist groß/ein grosser/noch hoff in der Ewigkeit.

Dieses Geringe hat seinem vertrauten
Freunde aufsetzen sollen und wollen
W. H. Bredloh. Oldenburg.



Quod Successio sit plausibilis & bona, certum est
Attamen est verum, quod bona lectio sit.

Sed nobis propones, quid Tibi nunc videatur


Illam dum præfers, præconium tribuis.

Laudaris semper quod nunc facias benè, perge

Sic Tibi *Frater* erit laus, honor atque Decus.

*Paucula hæc sincerum affectum contestans
apponere voluit*

Sigism. Isr. Kerlenstein Nob. Pol.



Gloria cuique placet, validumque, capacia laudis

Pectora quo stimulet, gloria calcar habet.


Nobilis hic ardor, Te vis hæc enthea mentis

Compulit ad celsas Pieridum cathedras;

Pergito veloci cursu, fax mentis honestæ

Gloria proveniet non peritura Tibi.

Nicolaus Meyer. Br.



Divite lætatur solers de messe Colonus,


Præmia sudoris nactus opima gravis.

Quid!

Quid mirum tacitè si tu lætaris, *Amice,*
 Qui studii fructum non sine laude capis!
 Perge tui Ingenii laudes augere suaves
 Et patriæ studium perge probare tuum:
 Digna labore tuo tibi præmia reddet Apollo,
 Gesturus capiti myrtea sarta tuo.

*Paucula hæc in honorem Præstantissimi
 Dn. Respondentis Amici & Popularis
 sui charissimi gratulabundus apponere
 voluit*

Johannes Boje Dithm.


Nobilis Ingenii prodix, popularis *Amice,*
 Egregium specimen, notitiæque tuæ;
 Musarum doctam cathedram dum, scandis AB EIT-
 ZEN,


Laturus studiis digna brabea tuis.
 Gratulor his cœptis, conatibus omnia fausta
 Expecto, succedent gloria, fama, decus.

*Sic amico suo veterrimo gratulari
 voluit*

Jac. Christoph. Ketsche/
 Hollatus.



Johanne de medicina et morborum medicina



Bremen, Diss., 1640-1714

ULB Halle 3
004 515 48X




f

sb.

WDA







142

DISPUTATIO POLITICA

42

2

De
SUCCESSIONE,

Quam

Aspirante Divino Numine

Sub Præsidio

Plurimum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi

VIRI

Dn. FRANCISCI Röhnen/

S, S, Th. D. ejusd. facult. ut & Philos. Pract. in illustri

Bremensium Athenæo Profess. Publ. Patroni,

Promotoris ac Præceptoris sui multis nomini-
bus atatem suspiciendi, colendi,

Publicè pro viribus defendet

CHRISTIANUS Von Etken/
Holsatus,

Ad diem 25. Julii horis locog. solitis.



B R E M Æ,

Typis Hermanni Braueri, ibidem illustr. Gymnasii

Typographi. 1668.

42